PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

memoriam huius visionis. Et libavit super illum oleum domino. vovens: dominum qui apparuerat ei: semper sibi esse in deum: et lapidem .i. locum lapidis: semper sibi honorabilem: et in tredi tu: decimas et hostias se ibi oblaturum. Et urbem primam etiam honorandam decrevit. vocans eam bethel: .i. domum dei. vel secundum iosephum: .i. hostiam dei. Prius enim iebuseis qui eam condiderant: luza vocabatur .i. nux. vel amigdalus quia cum primo ibi fundamenta iacerentur: radix amigdalina inventa est. vel forte: copia huius generis arbor ibi est. De duabus uxoribus iacob.

xxix. Procedensque in mesopotamiam: longo tempore pervenit in charram: et venit ad puteum in agro obturatum lapide grandi iuxta quem tres greges accubabant. Cumque dixisset pastoribus ut adaquarent greges: et ad pastum reducerent. accepit: morem esse ibi non amoveri lapidem donec omnes greges convenirent. nec licere particulatim greges adaquare. Cumque percunctaretur de laban: valet. inquiunt pastores: et ecce: rachel filia eius cum grege suo. Que cum advenisset: amovit iacob lapidem ab ore putei. Patet: quia non solus vivit iacob. Et adaquavit gregem eius: et indicans se consobrinum eius. osculatus est eam. Que nuntiavit hec patri. qui occurrens duxit iacob in domum suam. Et audita causa fuge: dixit ei. os meum et caro mea es: et ideo: secure latebis apud me. Tandem curam gregis eum habere decrevit. Post mensem vero: dedit iacob optionem mercedis: pro servitio pastorali. habebat autem laban filias duas. lyam lippam oculis: et rachel venusto aspectu. quam diligens iacob: ait. Serviam tibi .vii. annis pro rachel. Servivit igitur pro rachel .vii. annis: et videbantur ei pauci dies: pro amoris magnitudine. Nec dictum est: parvi: quia desideranti animo: ipsa velocitas tarda est: sed dictum est pauci. quia videbatur ei: rem tam amabilem paucis debuisse emisse. longe enim pluribus annis servisset pro ea: priusquam eam careret. vel dies vocat laborem dierum: qui videbatur ei parvus: quia laborem levigabat amor. Completo septennio: fecit laban nuptias genero suo. vespere autem facto: subintroduxit liam. dans filie ancillam zelpham. Iacob vero ut dicit iosephus: per ebrietatem et noctem lie commixtus: die facto: apud laban de iniusticia querebatur. Qui dandam necessitati veniam postulavit. moris ibi esse asserens: maiores ante tradi ad nuptias. Sed post alios .vii. annos: se daturum ei rachel laudavit. Causam prelati temporis dicens: se non libenter filiam ad chananeos misisse: cum etiam de sorore penitentiam ageret: quia eam illuc direxisset. Ieronimus vero dicit errasse illos qui dixerunt. post .vii. alios annos rachel traditam. sed post .vii. dies conviviorum. quos quasi perturbare: super inducta alia sponsa: fas non erat. Quibus finitis: iacob obtatis potitus nuptiis: amorem sequentis priori pretulit. serviens pro rachel aliis .vii. annis. De .iiii. filiis lye. et de filiis ancillarum. *Caue.*

Videns autem aperuit vulvam lye. sorore sterili data. ut amorem viri: fecunditate consequeretur. Que peperit filium: et ait. vidit dominus humilitatem meam .i. vilitatem erga virum. et ideo: vocavit filium ruben .i. visionis filium. Rursus peperit alium: et ait. Audivit dominus me haberi contemptui: et ideo: dictus est symeon .i. auditio. Peperit tercium: et ait. copulabitur mihi vir meus: quia addidi ei filios. et ob hoc dictus est levi .i. additio. vel firmator societatis: secundum iosephum. Peperit quartum. et ait. modo confitebor domino. et ob hoc dictus est iudas .i. confessio. Cessavitque parere. Unde rachel invidit sorori. et ait ad iacob. Da michi liberos. alioquin: moriar. Qui ait. Numquid ego sum deus: et cetera. xxx. Si non de me: saltem de ancilla. Et dedit ei balam in coniugium. non in uxorem: sed ut ei iungeretur. Peperit bala filium: et dixit rachel. iudicavit me dominus .i. equavit me sorori. et ob hoc. dictus est puer dan .i. iudicium. Peperit et alium: et ait rachel. comparata sum sorori: et invalui. et ob hoc: dictus est neptalim .i. comparatio. vel dilatatio. Lya quoque tradidit